

F A V S T V S  
PRÆSULEI SIDERIS INFLUXUS

In Gentilitio Livoniæ Campo  
Fertilitatem portendens,

cùm primùm

Illusterrimus & Rndissimus Dnus

D. NICOLAVS  
POPLAWSKI

DEI & Aplicæ Sedis gratiâ  
EPISCOPUS LIVONIÆ & PILTI-  
NENSIS.

Episcopatum suum ingrederetur,  
observatus.

eidemq; Illmo Antistiti  
Præsentatus.


à

Residentia Dineburgensi S. I.  
nec non,

à tota per missiones Curlando-Liuonicas sparsa  
SOCIETATE IESV:

Anno

Vncti in Pontificem DEI  
MDCLXXXV,



CVI 2. V.  
EOKU. T. M. CIRCA. RHOMAIS  
comit. S. H. V. I. O. N. I. R. E. D. N.  
anachorite. monachis. L.  
m. m. in. d. s.  
cum. Q. am. n. h. n. 13. am. n. i. f. ill.  
CVI 2. V.  
Affulxit populo, gratior it dies,  
Et soles melius nitent.

Horat. l. 4. od.



95327

1212

# Illusterrissime ac R̄ndissime P R A E S V L Mecænas amplissime.

**D**ostquam ad Ingressum Tuum aufficato Honoris  
tui exortu serenatus, toti Livoniæ gratissimus af-  
fulsit dies; etiam Pallas nostra literarum umbris  
obscurata, continere se minime potuit; quin inter  
tras sepiæ nubes, radijs Tuæ præsentiae in pluviā atramenti  
liquatas, in lucem prodiret: eum ipsum quem Liuonico  
Campo affundis faustum cæli & siderum influxum, coram  
Te hodie in chartam effusura. Tu ipse iustus rerum pensator  
terpēdes num idem sit qui à Tuo Gentilitio sidere deriuatur?  
Neq; enim eum ingenio Palladis destillare oportebat, cum  
urissima veritate confessus sit: ea est veræ laudis indoles ut  
ali facie apparere velit qualem habet: imò sublimia sidera  
minora semper apparent, quam sunt. Et quanquam Ture-  
fæctis, ultra hominum fidem (nō tamen supra sublimem  
Tuum spiritum) in altum processeris, nihilominus leuis ca-  
amus noster virtutū & sapientiae Tuæ iter decurrere ausus  
t. Timuit quidem leuitati sue, quod videlicet in Tuarum  
virtutum tractum, pedem intulerit, cum ne in pagina qui-  
em incedere sciat; nisi quaqua transit, atra sepiæ vestigia  
elinquat: verū tu Grandium Honorum & operum Tuorū  
pondus ei indidisti, ut amplius non esset unde leuitati sue ti-  
neret. Ita sane non leue calami pondus est, nullum ingeniosæ  
fictionis aut figuræ dictionis pondus tuis factis addere: viua  
uirtutum & eloquentiae figura es, qui ultra communem  
nodum viuendi & dicendi viuere consueisti & dicere. Rudi-  
taq; Mineruâ styloq; populari non popularia facta Tua cala-  
mus noster notare voluit, quia quantumcunq; cultum elegan-  
cemq; characterem quereret, nihil inueniret unde Tuis fa-  
moris culturā daret nisi eam à Tuis cultissimiis moribus  
accepterit. Maluit ergo amplissimum panegyris Tuæ tractum  
obiter.

obiter percurrere quam in singulis virtutum Tuarum stationibus studiosè demorari: probè gnarus eos quibus tu uitā Tuam connotasti characteres, nūquam se imitari posse; quanto sublimiori stylo illos attingere tentaret, tanto magis Tibi iniuriaretur, cui sublime adeò nihil est, atq; sublimitatem omnem fugere, & ad genium populi se demittere, quem & ingeniu, & honor & virtus, supra populos erexit. Exhibuisti Tu, in Te ipso radiosū cælum, virtutū & sapientiae circuitis distinctū, Tuoq; gentilitio sideri percommodum: ad quod leuis penna nostra rectē ferri voluit, & ne forte Palladio astatu abriperetur; Tuis rectē factis coherere debuit: nēne aberraret; Tuae demissionis ductu indigit. Præparasti tu uberem campo Liuonio lucis influxum, unde etiam sterili ingenio facunditatem instillasti, Magna quidem audacis calami presumptio est leui manu Tuarū laudū momenta metiri, perinde ac digito vellet cælum & stellas contrectare; verū enim ver facile volant calami, quò eos felices gratiarū Tuarū Fauoris impellunt; & licet leui brachio scribantur; parū tamen interest, qua manu panegyres porrigantr; dum modo Tuarū laudum plenæ sint. Moram siderum motus non admittit; ide & nobis festinā manu, encomia Tua notanda erant, ne tardius Tuum Nomen cælo inferretur. Habe igitur hunc quem Ecclesie præbes faustum Lunæ Tuae influxum, & cum eo affectuum, votorumq; nostrorum: ad celebritatem ingressus Tu confluxum admitte. Nos vero dum Illmo sideri Tuo illucescenti, corda nostra Tuis radīs illustranda objicimus, id omnixè vouemus ut imprimis DEVS Optimus Maximus qui fecit Lunam in Tempora heresi & superstitionibus, cæcāq; errorum nocte obumbrata, grates legat immortales: deinde Tu Annos perennes, fortunato Tuae Lunæ cursu menjos & constantes diutissimè perlegas.

Ita vouch ac precatur  
Illmo Honori Tuo deuotissima  
Residentia Dineburgensis Soc: I E S  
tota per Missiones Curlando - Liuonicas Span  
Societas I E S U,

# CAMPUS LIVONIÆ

123

Fauustum cœli & sideris Præsulei  
influxum sitiens.

**M**Agno Virtutum comitatu stipatus,  
gentilitium Liuoniæ campum in-  
gredere Antistes Illustrissime.  
Assurgit ille in magnam spem maximæ  
fertilitatis; cum sidus Tuum vicinum ha-  
beat: & qui antea maledicto subiectus,  
spinæ & tribulos germinauerat, tandem  
à Tuis benefactis, benedictionem Præsu-  
leam expeccat. Extende ergo manus la-  
bori consecratas, & auspicatam prælentiæ  
Tuæ lucem affunde, tenebras quas hæ-  
resis & supersticio iniecit, disiecturus; nec  
non grandem animarum tempestatem  
serenaturus. Habet nempe id sibi conge-  
nitum semper vultu Tuo serenè elucens  
virtutum maiestas, vt in quæcunq; emi-  
cantes zeli scintillas proiecerit; eum in  
sui amorem accendat, & ad quos Honoris

B

Illu.

Illustrissimi radios protenderit, certam  
ijs serenitatem portendat. Eadem est Tua  
quæ & Lunæ consuetudo: alba luna se-  
renat: & tu dum candore morum eni-  
tes; diem claram polliceris. Sat iam diu  
Liuoniæ campus fertilis olim, ventos per-  
peslus & imbræ, & inimicarum constel-  
lationum æstibus, quos Lutherus titio  
ille infernalis accenderat, planè ambustus,  
Religionis plantationem, virtutumq; cul-  
turam non admittebat, tametsi tepidis cru-  
oris pluuijs irrigatus, quem victrix Polona  
manus effuderat, cùm messores laurearū  
gladij, etiam Sueticorum leonum capita  
Sarmaticæ Coronæ opposita demeterent.  
Neq; solùm inimicum, etiam amicum  
bibit sanguinem, & sanguineum planè  
sudorem operariorum; & tamen virtus  
Fidei consanguinea non adoleuit! Nempe  
nihil erat, omnia fæcunditatis fomenta  
adesse; si vnicus cœli fauor deesset. O  
quot palmares campus hic exceptit labo-  
res! vix tamen aliquod Religioni exhi-  
buit palmetum; vnde illa & fulcra Ec-

clesia

clesiæ excideret; & gloria tot Martyrum, quot veritatem Fidei confitentium; tot victorum, quot contra hæresim, sub Romanis, & Polonis Aquilis pro Ecclesia & DEO militantium capita corona-  
naret. Videre hic erat dies ferè omnes sine vlla die: hanc quippe eripuerat errorum caligo & conscientiarum eclypsis, quam Lutherus quia carnis (quæ terra est) amator, terrea massa effectus, attulerat; dum increato soli opponeret, extinctis etiam minoribus rationis luminibus. No-  
ctem Aegyptiam viuebamus, solaq; spe recreabamur, sperantes fore tandem aliquem Josephum, qui Religionis incre-  
menta sciat accumulare. Imò verò inter continuas has noctes, campus hic vnde fæcunditatem acciperet, rorem cælestem excipiebat nullum: si quid à sacris Sacerdotum luminibus, & etiam à minoribus stellulis id est LOJOLANIS Igniculis, salutem humanam ardenter exambientibus, dimanabat; id totum frigidi septemtrionis iniqitas absumebat; & viuos cor-

dium agros, veluti Marpesias cautes exci-  
piendæ fementi salutis inutiles, magis  
quotidie indurabat. Manabat copiolus  
operarum Ecclesiasticarum sudor, nec  
humectabat: effundebatur vniuersa præ-  
dicationis contentio, nec emolliebat: vo-  
cati sunt in societatem laborum JESU  
socij: omnem ij mouebant lapidem, neq;  
tamen lapidea obstinatorum pectora, licet  
quatiebantur, concussa sunt. Habebant  
ij non vnum Moylen è captiuitate satanæ  
populos educere tentantem, nec deerat  
sacri Mercurij virga, aures obduratorum  
quatiens, neq; tamen copiosa pænitentia  
lacryma effluxit: imò profundum ij elo-  
quentiæ sacræ flumen eò deducebant,  
vt siccitatem cordium irrigarent; talem  
prata hæc habuere Nilum! neq; tamen  
ex eo ad satietatem biberunt. Prodibat  
ab ore Concionatorum gladius vtraq;  
parte acutus, & rescindendis vitijs, &  
incidendis virtutibus aptissimus, neque  
tamen durities scindebatur. Ad extrema  
deuentum est, bibit Laterna pro salute  
æter-

æterna, ab hæreticis sibi propinatas Bal-  
thici maris aquas, vt ità haberet, vnde  
verbum bonum eructans, pertinacem  
animatorum siccitatem perlueret: alij famem,  
sitim sustinebant, & vel hodie sustinent;  
vt habeant vnde famelicam pietatem  
inibi sustentent: alij speciosis pedibus  
evangelizantes veritatem, Regiones has  
circumcursabant, & hodie circumcursant,  
virtutumq; vestigia imprimebant & im-  
primunt; at vix est qui ea obseruet!  
colligebant & colligunt puerorum mani-  
pulos, ijsq; fidei rudimenta ingerebant &  
ingerunt, & vix est qui granum electum  
contineat: noctes alij insomnes agebant  
& agunt, vt advigilent nè hominibus  
in negotio salutis dormitientibus, ini-  
micus homo superseminet zyzania; huc  
& illuc alij crebris missionibus excurre-  
bant, vt vbiq; Fidei & Religionis Chri-  
stianæ semina mitterent, euntes ibant  
& flebant tantam sterilitatem, non ignari  
salsum hunc humorem, pœnitentiæ fru-  
ctibus nutriendis, alimentū esse optimum.

C

O si

O si quis tam ferreos in Agro Liuonico  
labores inspectaret! an non auream mes-  
sem ad promitteret? Nihilominus non-  
dum forsitan Liuonia habet, vnde sal-  
tem decimas cælo exsoluat, si non ei tota  
fructificat. Tanta est temporum pver-  
sitas ut ferrei labores in aureos fructus  
non vertantur! quid igitur ad fæcundi-  
tatem Campo Liuoniæ defuit? illud ego  
putauerim quod influxum siderum, cæliq,  
Poloni tot Astris, quot ostro laticlaviæ  
dignitatis decoris senatoribus, conspicui,  
non habebat: quantumvis etenim & Pau-  
lus plantet, & Apollo riget, frustra est  
si DEUS, aut ij qui DEI vices in terris  
obeunt, incrementum non dederint.  
Quod si ità est, cœlo Te delapsum Præ-  
fui Illustrissime suspicimus, qui à serenissi-  
mo Poloniæ Polo mislus, in Liuoniam  
venis, incrementa salutis allaturus. Non  
vacuus Campum hunc novis honorum  
impensis excolendum ingrederis: præce-  
dunt & sequuntur, Te, in Te ipso dedu-  
ctæ plurimæ virtutum & sapientiæ turmæ  
adeoq,

adeoque ad multam messem in Te vno  
multi veniunt operarij, quia tu vnu ex  
multis, & vnu pro multis venis. Luna  
Tua Illustrissima, in quam serenissimus  
farmatici cœli sol JOANNES III Regio  
suo Nomine dignas infudit gratias, fau-  
sto influxu grauida est; hunc influxum  
vbi Liuoniæ indideris; haud dubium,  
fæcundabis. Scimus virtutes tuas mar-  
cescere nescias; has ubi Liuoniæ intule-  
ris, Floridam insulam efficies, vndique  
Tui honoris lumine affluente circumfu-  
sam, adeoque fertilem: habebit pietas  
locum in quo florilegium exerceat, Tu-  
um nomen coronatura: scimus sapientiam  
Tuam sine sanguinis imbre post sola in-  
geniorum bella succrescentium laurearum  
esse feracem; hanc postquam Liuonia  
exceperit, cum laurus fulmina arceat,  
non amplius pestiferam fulminis hæretici  
exhalationem pertimescat: debebitque  
Tuæ immortalitati incidendæ, annosam  
quercum, pro Apollinari, quam illi in  
eruditione Tua adfers, corymbo. Scimus

quoque Infulas Tuas virtutis esse tectum,  
sub hoc umbraculo, fessa inter labores  
Religio caput reclinabit, postquam au-  
spicatissimum Lunæ Tuæ exortum con-  
spexerit laboriosos Patresfamilias imitata,  
qui non prius labori valedicunt,  
quam Lunam salutent. Hæc est  
publica de Te spes omnium  
& expectatio, istud vber-  
rimæ in Campo Liuoni-  
co fertilitatis omen,  
fausto influxu  
confirma-  
tum.



# INFLUXUS in Liuoniæ campum Per Sapientiam Præfulis Illustrissimi.

Astrum est sapientia,

In nocte ignorantiae clarius elucet.

Bene est; cæca inter Lutheranismi caliginem Liuonia,

Lumen cœli videbis:

Si de die splendet de nocte etiam ardeat est necesse.

Adeo dum noctem tuam perdet, nox illud prodet.

Nec otiosa lux est Astrorum,

Dum in fruges cadit; fruges assurgere facit:

Nec ideo de sursum venit ut aliquam terræ portionem auferat

sed ideo ut cœlestes opes deorsum afferat.

Beatius nempe est dare, quam accipere.

## Formate jam omina

Virtutum formatores, campi Liuonici cultores

Lucemnē maiorem an umbras speretis

ab influxu sapientiae PRÆSULEÆ?

Nam & lux agros illuminat;

Ut eos spica Cerere obumbret.

Bene est iterum Liuonia. Lucem habes & umbram

Illa fauebit, ista fouebit:

Nudam illa Fidei veritatem monstrabit

Quam Lutherus nouitate induit, sed se ipsa exuit;

Ista verò ubere fructu te operiet

Cum ad opera bonæ frugis accendet;

Ne forte Fidei veritas cum nuda sit frigere videatur.

Sic etiam umbra sapientiae de seipsa inuenit

Unde frigidæ mortalium mentes incalescant.

Intelligis iam puto Curlando - Liuonica Ecclesia,

Iam enim sacrum caput habes,

Quisnam cœli tibi fauet planeta

Ut cœlo implanteris.

Si homo est parvus mundus;

Pro cœlo microcosmus iste caput habet.

Tot illi sidera, quot scientiæ.

Non indigent hæc astra motricibus Intelligentijs

Ipsa enim intelligentia sunt;

Nec aliunde gloriæ motum quærunt; quem in se habent.

Mysticum hoc capitis cælum,

Seu coeleste PRÆSULIS caput, & scientiarū capitolium;

aspergit caput orbis Roma:

Nec otiosus hic erat aspectus.

Laborauit nimirum in eo,

Ut NICOLAI Sapientiam demiraretur:

Hinc ejus capiti inscripsit censum capitalem  
de magnis ingenij lectum.

Scilicet expediebat Nicolaum esse virum sui Nominis,

Nec solum per eloquentiam populi genios,

sed etiam cælestia ingenia per sapientiam vincere.

Vidit hoc sidus Theologica pupilla Thomas

Et nominalem sibi, doctrinæ eius profunditatem miratus

In eo seipsum agnouit.

Ea est magnarum mentium indoles;

vt quos intuentur, eos vultus referant,

Et talia hic lustrantur simulacra; qualia vitæ lustra:

Scientia nempe speculum est assiduâ eruditione politum

In hoc si quid inciderit casum ultra non metuet,

quoniam perenni memoriâ tenebitur:

Adeo tenaces sunt artes liberales.

Aduertit & Tullius se esse captiuatum

In liberrima POPŁAWSCIANÆ suadæ obsequia.

Stupuit se Varsaviæ viuere, cum non viuat Tusculi;

Erubuit se esse seipso sanctiorem,

Cum non iam pro domo sua, sed pro DEO & Domo omniu-

quia

quia pro cœlo perorabat.

Et quidni erubesceret?

Loquebatur ille in conspectu Regum  
MICHAELIS, & IOANNIS

& non confundebatur:

Nisi illum ruborem intellecteris; quem Regales purpuræ indiderūt.

Commune est ad exemplum Regis totum componi orbem  
Istud POPŁAWSCIO singulare,

Dignum esse cui se duo Reges Poloni dignati fuerint tradere;

Ad leges Poli componendos.

Discent ætates quæ Nicolaum concionantem audiunt;

Nullibi apparere illustrius Astrum, quam in ostro  
Hujus ostri primum decoramentum est vno pretiosus

Vocatus Achates Literis amicus,

Musis & Apolline signatus.

Neq; tamen Nicolaus sic Regibus adfuit

Ut gregi suo deesset.

Adeffet hic utinam Pericles

Tonare semper sed non semper tenere doctus;

Dignum ille Præsulem suo nomine confiteretur.

Quia Præsul hoc oratorum numine dignior

Tenere animos semper, licet non semper tonare suetus:

Ea est suauiter influentis eloquentiæ virtus;

Ut quos nec virtus nec Templi parietes teneant,

Illa & attrahat, & teneat.

Hinc est quod D. Ioannis Ecclesia, nunquā est sine hominū Ecclesia

Dum in ea novus Ioannes totus gratiosus euangelizat.

Si quis vespertino illi Varsaiensi examini interest,

Nisi veritati desit, hanc veritatem non examinabit;

Nempe quod Popławsciano ori examen opum insederit,

In hoc felicius Platone, quod incessat Plutonem:

Ita sanè idem & nectar habet, quo pietatem instillet;

Et aculeum, quo expungat impietatem:

Cerea plerisque varijs Fortuna,

Nostro Præsuli mellea est.

Sed qui etiam peccantibus totus malleus est  
Nihilominus peccatorum malleus est.

Nec tam ferox ut vibret fulmen;

Quam commitatis ferax,

Ut gratiosum eloquentiae infundat flumen.

Eridanum ab hoc sidere scaturire crederes,

N si modestam Nicolai comitatem videres.

Hæc vtiq; omnis virtutis scaturigo est;

Magisq; ex alto sese demittit;

Ut pusillorum cordium siccitatem irriget;

quam in altum attollitur,

Ut hominum admirationem in sui laudibus demergat.

Quanquam nec tantæ modestiæ sua deest sublimitas

Quæ ad audienciu[m] mentes sese inclinando, ad cœlum eas erigit.

Atq; hic est Sapientiæ POPŁAWSKIANÆ influxus

Inter pluuias calami stillas delapsus,

Et temporum ad vota fluentium

Et votorum in campum Liuoniæ confluentium præfigus.

Plura tamen in Præsule venerare;

Quam quæ in chartam venerunt.

Uti Astrorum influxus occultus; ita sapientia arcana est;

Cætera cum sciat, seipsum nescire amat & nesciri:

Imò thesaurus est sed absconditus;

Et quanquam calamus eum eruit

Tamen literarum umbris tectum relinquit,

Illud clarare haud ausus quod seipso clarum est.

Nihilominus sidus hoc musis amicum

Licet intra sphærām suæ modestiæ consistat

Ultra sphærām immortalitatis progredietur.

## OMINARE LIVONIA

Sapientia tam facunda

Num in Campo Suo erit fæcunda?

Influ-

129

# INFLEXVS

## In Liuoniæ Campum

### Per Virtutes Præsulis Illustrissimi

**Radij POPŁAWSCIANÆ LUNÆ**, quia radij sæ virtutes,

In Campum vestrum incident,

Rarum cæli fauorem stupete Liuones;

quid enim virtute rarius?

Apud multos vix comparet, mox disparet,

Quasi verò fulgur sit non fulgor,

nec fructus afferat sed auferat.

**Citò nempe fulgura veniunt**, quia vacua;

citiùs abeunt licet furto onusta & vitibus grauia:

nisi fortè fugâ abripi dicantur,

postquam bonum succum terræ surripuerint.

**Sic planè virtus virtutis nomen furtuum habet**, ni sic stabilis,

**Namq; virtutes ut sint humanæ, morosæ debent esse;**

fulgeant non fulgurent;

Inquiline sint non hospites,

alias vilescent;

### Habes Tu Hosipes Infulate

quod in Te non hospitari suspicimus,

**Si Infulae tectum sunt**; sub hoc tecto merita Tua habitant;

Et licet sacrum istud Ecclesia dignitatis tectum nouum sit,

Semper tamen tecum portas domum

De viuis lapidibus ædificatam,

Nisi dicere malim sancto exemplo multos ædificantem.

Ac antequā Episcopus fieres, iam illā rectefactis cōsecraueras.

Virtutes quoq; Tibi Antiquissimæ sunt:

Tecum adoleuerunt;

Tametsi semper maturæ fuerint.

E 95327

Secun.



**Tecundus erat in prima Tua aetate  
optimae educationis Influxus.**

Nam quo semel es imbutus, hoc retines;

Et quod biberas, eructas verbum Bonum.

Nec non opera tua dicas etiam tacendo;

Est utique sua & operibus vox,

& magis mouent exempla quam verba.

**Non minor Prudentiae Influxus.**

Unde sit ut tua sententia maximi fiat;

Fata non accipit;

quisquis ab hoc sacro tripode efflata petit.

Imò quoties peroras; toties Diuina oracula fundis.

Sic etenim Pallas virtuti sociata semper in plano ambulat

alioquin in præcepis rueret,

si sola stare vellet.

Et cum de cerebro Iouis nata sit;

facile à vanitate abrepta, alta peteret,

nī pondus virtutum haberet.

Absit tamen ut hoc pondere in imum deprimaris.

**Copiosus Fortitudinis influxu  
molem totam sustentabit.**

Non permettit illa aduersis concuti eum,  
qui secum inconcussam seruat amicitiam.

Conueniebat item tam grande virtutum pondus haber-

vt etiā calamileues inueniēt, vnde in Tui encomiū desudare

Et verò sudor ejusmodi abluet, quidquid sepia denigrauerit.

Ingrederis & nunc Liuonicum campum septemtrionalibus tu-

Neq; tamen dejiceris animo; (binibus periu-

quia patientiae clypeum opposuisti.

Frangent hic aduersitates impetum;

cum in infractam Tuam inciderint mentem.

**Quid verò TEMPERANTIAE INFLUXUS?**

Myr

Myrrham primam distillare videtur,  
qua ad immortalitatem vnguis sis & delibutus:

Adeoq; antequam in Episcopum ungereris,  
iam Episcopum Myrrhensem indueras;  
crebra jejunia instituebas;

ut ijs Patroni Tui imitationem aieres,  
Ratus optimè grandes sine impensa impensas fieri;  
si id vnum spectetur ut parum impendatur  
ad corpus alendum  
virtutum alimoniam enutritum.

Sapidus est animæ bolus, negare palato, quod sapit.

Hoc Tu bolo Diuum Nicolaum in Te rediuiuum nutris,  
ut qui Polo viuit, viuat etiam Poloniæ,

Tuo spiritu animatus;  
quia Tu ejus spiritu animaris.

Adeo Tu Tibi ipsi etiam iusta negas,  
quia iustus es.

Novus est quidam IUSTITIAE INFLUXUS,  
Sibi negare quod suum est.

Ista est celo viuentis animæ consuetudo,  
ut cum minimè jejunas virtutes habeat,  
cum jejunat.

Habes & alteram mirabilem justitiae speciem:  
qui cum multa patres miranda, nil patres ad speciem.

Quis non miretur Beneficentie Tuae Influxum?  
Qui pauperibus reddis, quod inopia abstulit.

Unicuique tribuis id, in quod ius non habet,  
nisi ius Tuarum Gratiarum.

Nihil Tuae Liberalitati æquè proprium est,  
ac tale ius proprietatis fundare.

Quos fortuna fugit, apud Te Domum Refugij inuenient,  
& fortunam fugacem assequentur.

Debet Tibi plus Ecclesia quam cœlum Atlanti.

Cœlestem ille fulciat machinam;

Tu mysticum cœlum Varsauiae exexisti; idq; duplex:

Alterum pro majoribus Luminibus,

maximi sideris Vicarijs,

vt eò nitidius Ecclesiæ præluentes radios colligant,  
quæ elegantius tuo beneficio incolunt Collegium.

Alterum pro paruis stellulis,

quas duodecim sustentas;

ut verior Ecclesiastici cœli Athlas videare,

illud non sustinens modò; verùm etiam sustentans;

Errârunt hic Mathematici,

Tantùm ipsi Soli, Zodiacum concesserunt;

En Tua quoq; Luna viam invenit:

Quâ per hæc duodecim Tuæ Beneficentia signa progrederetur.

Quoadusq; totam Ecclesiam circumiret.

Mystici hi cœli non Tibi suffecere;

Quoniam, (in quo deficiunt plures) sufficis pluribus.

Ad tertium usq; cœlum raptus es:

(Templum Parochiale intelligo)

Huic Tu cœlo quod Diuus Ioannes incolit

Addidisti nouam Turrem, veluti Herculeam columnam

quâ mysticum hoc cœlum suffulciretur:

Et ut clarius suas gratias Ioannes personaret

Campanariam Templi vocem eleuâsti.

Hac ille populos in Templum conuocat, ne templū desertum fiat;  
adeoque in deserto clamet.

Nemo in Tuo cœlo erratica Lumina audeat suspicari,

cum Tu Clerum ad ordinem redegeris;

Nec minus commodam cuiq; stationem assignaueris,  
quam doctrinæ lucem & pietatis ardorem impertueris.

Et Iste est Optimus Regiminis Influxus.

Sic docet in Basilica Sancti Ioannis

Lucernas esse ardentes simul & lucentes.

Sileat Roma suas Vestales;

Diu-

331  
Diuinus Tu sacrum Ignem custodiri fecisti.  
quando ita dispositisti temporum momenta,  
Ceu continuæ flammæ fomenta,  
vt hora nulla sit, quâ non oretur.

Neq; verò tantū Tui officij duxisti, solas selectas Ecclesiæ Lucernas  
ad officium suum accendere.

Etiam minores popularium cordium lampades inflammasti:  
Postquam ijs oleum ab ore Tuō effusum affuderit

## Über Zeli Influxus.

Quod in historijs legimus, aquam nonnunquam artisſe;  
Hoc in Te cernimus:

Nam Tu ipse viua mirabilium facinorum Historia es,  
Et ideo vitia hominum delere studies;  
vt Gloriam DEI scribas:  
Eamq; tecum ubiq; circumfers;

vt quoquò vertaris,

Ardentem gloriae DEI zelum Tibi impressum exhibeas,

Tam peccatorum arida corda in cineres redactus,

Deq; ijs contritis speculum conscientiae formaturus,  
per quotidiana examina inspectandum;

Quam aureos Diuini Amoris affectus ab omni scoria purgaturus:  
Facem veritati huic præferet,

Quisquis Meditationum, Exhortationumq; Varsauiensium ignicu-  
Mihi non libet ignem digito monstrare, los excepit:  
Cuius natura est apparere.

Habent suos sidereæ flammæ circulos;  
Reperisti & tu modum

quo etiam in terris cælestes choreæ agerentur:

Confraternitatem SS. Sacramenti erexisti

Humanas mentes ab imo in altum erecturus:

Pulcherrimus est magnæ artis saltus,

vno motu ab humo ad æthera mente profiliens;

Quam intra parietis Ecclesiastici umbras Sol Iustitiae decurrerit:  
Noctes quoq; s̄epe insomnes ducis,  
mortis fratrem somnum repudians, dum vita eternæ inuigilas:  
Non ausim tamen ego illas, noctes nominare;  
Quas clarissimus virtutum Tuarum meridies serenauit:  
Hoc demum est Lunam Tuā nullā nocte eclipsari posse;  
quia noctem nullam habes,  
cum in auge virtutis consistas.

Diemq; continuum viuiss;  
in hoc sanctior Tito,

Quod cum nullam diem perdidieris;  
Nouum & nouum semper pietatis diluculum queris;  
Et licet in meridie perfectionis consistas;  
Semper ad perfectionem eluctaris.

### Arcanus Humilitatis Influxus

Hanc Tibi instillauit indolem;  
Quod cum maximè assurgas, demississimè de Te sentias.  
. Persequuntur alij fugientes honores,  
Tu honores tenere nolles, nisi ab honoribus tenereris.

Laborem solum persecutus,  
In honorem, quem fugeras; incidisti;  
Dignitatem fugiens, virtutem Dignatum Matrem affecutus es,  
Maxima dignitas est Dignatum maximarum contemptus.

### Ad extremum Suauissimus Modestie Influxus

Ros est caelstis, in gemmas efformandus.

An non enim quidquid agis, pretiosissimum est?

Si omnium in Te rapis oculos;

gemmaeus totus esse debes:

In quem tot gemmæ spectabiles, quod spectantiū oculi migrârunt.

Quidquid etiam loqueris, in lingua mel portas;  
cum in corde omnibus fauentissimo fauum gestes:

quoties peroras;


Toties mortalibus vita amarorem fastidentibus, nectar irroras.

Sunt & alia innumera Cœli Tui Astra  
Quis enim stellas possit numerare.  
meliùs splendores Tui in animum transferuntur quàm in chartam.

Neq; ulla opera Tua paginis operire auderem  
Nisi honoris Tui Auroram musis amicam esse scirem

Ominare Livonia

Ab influxu hujus Auroraꝝ utrum aureas horas speres?



OPERÆ SOCIETATIS  
I E S V  
In Campo LIVONIAÆ

Ob faustum sideris PRÆSVLEI influxum, bonum laboris  
successum ominantur; Eiusdem laboris Primitias  
Præsuli Illustrissimo offerunt.

Ista demum Tua est maxima Fortuna, Minima IESU Societas  
Transibit Liuonicus campus in Fortunatas Insulas,  
Insulas nactus fortunatas:

Sperare potes post sudoris pluuias, uberem Religionis messem,  
quoniam POPŁAWSCIANA fauet Luna,

Nouo splendore conspicua.

Rubet illa Sacraꝝ purpuræ rubore;  
Tempus est, ut & Liuonia sterilitatem suam erubescat,

Decet fæcundam esse Filiorum DEI Matrem  
cùm iam iij purpuratum Patrem habeant.

quem ultra cœlos Dignitas extulit, humana omnia prætergressum  
quasi Diuina omnia, humanum nil haberet;  
qui homines cælo dignos formare nosset

Inspiciant Liuones quoniam virtutum speculum habebunt;  
quod Poplawsciana Luna ex radiorum condensatione effecit,  
sapientia expoliuit,  
Honor porrexit.

Si tamen honor ipse porrectus sit & non magis vltro accurrerit;

Ad quem Nicolaus manus non extendit,  
Quoniam Humilitatem quam tenebat dimittere noluit.

Considerent in hoc speculo vultum Natiuitatis suæ  
Luthero natæ hæreseos præcones;

videbunt quæm informes futuri sint Mercurij  
Nisi inde species vitæ accipient, quibus conformatur.

Ut fructum vitæ æternæ colligant,  
qui hactenus mortem seminârunt:

Et qui errores propagârunt, errare se intelligent.

Maximus namq; error est errare se nescire

Bona est autem pessimæ fementis in meliorem frugem conuersio,  
Ad cognitionem erroris assurgere.

At vos Operæ Societatis I E S V

quæ sudore Campum Liuonicum perluitis,  
vt pro lolijs lilia, pro spinis rosæ succrescant;

In primo Præsulis ingressu

Laborum vestrorum primicias præsentate.

Ite Præsuli obuiam,

Benedictionem ab eo accepturi.

Ingredietur ille animos vestros, quia patentes sunt,  
votaq; omnia effundunt,

Ut fauentis cœli salutem diuturnam Præsuli affundant.

Afferte fasciculos myrrhæ  
quas proximi amor collegit, & in fascem patientiæ colligauit;

Hæc erit Immortalitati Præsuleæ oblatio.

Amicus est exorientis sideris Poplawsciani aspectus.

Laborem vestrum ab aduersis proteget, & ab auersis.

Vos verò si quos flores Ecclesiæ exornandæ aptos legistis,

Quos pietas Hortulana plantauerat,

Ingredienti Præsuli substernite:

Flores terræ oculi sunt,

Sidus igitur cœli spectent.

Cæca alias Fortuna in vultu Præsuleo Fortunata omnia leget;

Si eam Sidus istud respexerit

Habet Planeta hic etiam gladios.

Tineat dentibus quisquis Fidei germen arrodit

Ferrea grando dentes excutiet.

Ferro aliquando pluisse fertur;

Actuosus & noster Planeta est:

vbi ferro pluerit, surgent viri Cadmæis feliciores

Etiam è dentibus Ecclesiam Catholicam mordentibus

Qui pro Fide mutuò gladiaturi sunt.

Ominare Societas IESU

Plusnè hi gladij demetere possint; quam seminaueris?

Nam etiam tu aduersitates metis, quas non tu seminâsti.



# U M B R A

## Serenissimi Regalis scuti

*faustum sideris influxum fouens  
ac fæcundans.*



D Tuum Serenissimum SCUTUM omnes hi radij sese refle-  
ctunt, qui faustum sideris influ-  
xum Liuoniæ Campo inferunt.  
**REX SERENISSIME.** In Tuum SCU-  
TUM Gloriæ omnis capax, gaudia nostra  
confluunt, gratiarum actiones immortales  
sub umbram Nominis Tui festinant quo-  
niā & gaudij nostri abundantia à TUI  
SCUTI fauentissimā umbra, dimanauit;  
& gratiarum actio nostra è Tuis exiuit  
gratijs. Videras Tu perspicaci Zeli oculo,  
DEI in terris spectatore, videras Liuoniæ  
Campum tot heroum cum Leonibus olim  
dimicantium sanguine rigatum, in quo  
DEUS fidem plantauerat, ab æstu armo-  
rum penitus decoctum, sterilescere; &  
qui antea pulcherrimum pietatis florile-  
gium

gium producebat sensim à pessimis Agri-  
colis Lutherò & Caluino ad impietatem  
deductum pro laureis fatales cupressus  
germinare: adeò, ut postquam Catholica  
Fides suis colonijs dimota non inueniret  
ubi Religionis culturam exercere posset;  
etiam Sarmaticæ Aquilæ vix haberent,  
vbi nidum ponerent. Campus enim  
hic, à campis dictæ Poloniæ, ipsiq; Polo  
vicinus, ubi se Romæ subduxit, etiam à  
Polonia multum secessit, Leonum Sueti-  
corum cubile factus. Et quanquam inter  
paucos ad multam messem operarios non  
deessent etiam operæ Societatis JESV,  
quæ indurata hominum corda sudore  
emollirent crebris ad pœnitentiam ex-  
hortationibus scinderent, complanarent  
exemplis; nihilominus inter ingentes la-  
borum impensas, magnus quidem sed  
nondum totus fructus apparebat: injicie-  
bant copiosam VERBI DEI sementem  
verùm fatalis septemtrio pessimo aspectu  
pestem animabus afflabat. Notabantur  
quidem, nonnunquam crescentia magnæ

spei iudicia, verùm antequam maturescerent, vel à Leonibus Gothicis conculcabantur vel ab Aquilonibus ex orco erumpentibus agitabantur: sic spes in herba peribat. Vidisti Tu hæc; & ut actuosus est Regum oculus, nil aspicit quod non spectabile reddat; ideo & Tu umbram Tui Patrocinij prouidisti; & ut jam ab æstu armorum defenderes, jam iam ab incendijs rabidæ Caniculæ Fidei veritatem proscindentis malitiæ, tuereris, Regale scutum, quod Gloriam Christianitatis in umbrat opposuisti: nec non in hac serenissima umbra, Praesuleam LV. NAM in Liuonia exoriri iussisti; non ignarus, vanos esse canum contra Lunam latratus. Eadem est Tua quæ & solis liberalitas; qui cum beneficus semper esse velit, etiam Lunæ lucis beneficium impertit. Illas Tu manus grandium sceptrorum capaces, quibus Christiani orbis Gloriam sustentas, extendisti; partim ut cælos ad influendum Liuonico Campo inclinares; partim ut succisam senato-

riam dignitatem iterum implantares; partim ut euelleres, propagines hæreseos, salubrem animabus succum subtrahentes. Neq; enim inutilium arborum umbris Religionem obtegi conuenit, quam Tuæ Prouidentiæ serenitas inumbrat; vt in oculis totius orbis pulchrior appareat. Atque hanc umbram SERENITAS T V A Campo Liuoniæ dedit, dum ei nouam lucem in auge Præfulei honoris consistentem indidit. Hoc demum est magnu te Patriæ esse Patrem, qui non terrenæ modò, sed cælestis quoque Patriæ filijs, purpuratos Patres assignas imò D E I vicem implèsti, quando similem Tui, talem nempe, qualem in animo Tuo formaueras Præfulem creâsti. Pro quo dum DEO & Tibi gratias perennes scribimus, Tu in cordibus nostris scriptum omen gratiæ immortalis lege.



L-17  
2-1419

1800. 1801. 1802. 1803. 1804. 1805. 1806. 1807. 1808. 1809. 1810. 1811. 1812. 1813. 1814. 1815. 1816. 1817. 1818. 1819. 1820. 1821. 1822. 1823. 1824. 1825. 1826. 1827. 1828. 1829. 1830. 1831. 1832. 1833. 1834. 1835. 1836. 1837. 1838. 1839. 1840. 1841. 1842. 1843. 1844. 1845. 1846. 1847. 1848. 1849. 1850. 1851. 1852. 1853. 1854. 1855. 1856. 1857. 1858. 1859. 1860. 1861. 1862. 1863. 1864. 1865. 1866. 1867. 1868. 1869. 1870. 1871. 1872. 1873. 1874. 1875. 1876. 1877. 1878. 1879. 1880. 1881. 1882. 1883. 1884. 1885. 1886. 1887. 1888. 1889. 1890. 1891. 1892. 1893. 1894. 1895. 1896. 1897. 1898. 1899. 1900.

A. M. Iwanowski Fati in Acto et Conchilographie  
et anatomie redact.

